



Universitätsbibliothek Paderborn

**Panegyricvs, Die Natali Academiæ Theodorianæ
Paderbornensis, Reuerendissimo, atq[ue] Illustrissimo
Principi, ac Domino, Theodoro, Episcopo Ecclesiæ
Paderbornensis, S. R. I. Principi, Fvndatori Eivs ...**

Horrion, Johann

Paderbornæ, 1616

Capvt XIX [i. e. XIV]. Gratiae nomine Ciuitatis.

urn:nbn:de:hbz:466:1-14243

sed alios quoque erudire , & aliud ex alio sacrificium pos-
sunt accendere. quod quidem sacrificium D E O gratissimū
totq; mortalibus salutare, jam inde ex eo tempore , cùm
primum hoc instituendæ Academiæ consilium,in hoc tuo
Alisone, iniisti immortalem tibi apud D E V M ,& homines
gloriam conciliat.

C A P V T XIV.

Gratiæ nomine ciuitatis Paderborn.

Quò magis æquum est Paderbornenses, grates , &
laudes immortales D E O Opt. Max. habere, atquè
agere, qui te huic Ecclesiæ difficillimis temporib'
Theodorum, id est diuinum quoddam , & cælestē
donum largitus est. Si enim tunc immortali quodam se
beneficio affectos profitentur , cùm Caroli imperio huc
missi sunt, qui primis eos salubris doctrinæ elementis eru-
diren, quanto est hoc maius atque splendidius , tua Prin-
ceps ope perfectum esse, ut Diuinæ Sapientiæ,& omnium,
quaæ illi famulantur , Disciplinarum Templum esset Pa-
derborna ? Itaq; quod disertissimus Iudaorum Philo præ-
dicabat de Athenis, eas esse in Gracia , quod sit pupilla in-
oculo, & mens in anima, idem nunc , tuo , Princeps Opti-
me beneficio celebrabitur , de Paderborna : eam esse
Lumen, Mentemq; VVestphaliæ. Hinc enim illa ac-
cesset, qui populum de superiore loco in templis erudiant,
qui sacris tribunalibus præsideant, qui Ecclesiæ, qui cœ-
nobia gubernent. Hic illi diuinorum, humanarumq; rerum
scientiam haurient : hic in luce doctorum hominum suæ
eruditioñis, & virtutis specimen dabunt: hic promeritis ti-
tulis , & decoris insignibus cohonestabuntur , eritque du-
biuム plusne Paderborna dignitatis afferat VVestphaliæ,

O

tales



tales fingendo, atque formando, an VVestphalia Paderborna, ijs, quos illa perfecerit, munera honoresq; mandando. Ipsa vero quantum inde fructum capiet, cum similiter atque his suis salubribus fontibus, omni scientiae ybertate circumfluet? Numquam illa præterea usque eò se transuersam trudi sinet, vt ab homine omnium rerum honestarum ignaro, & bardo, templum, aram, suggestum teneri, absterreri plebem à religione maiorum, diuelli ab imperio, & auctoritate Principis, & Antistitis sui, diuina, & humana violari patiatir. Fuerunt hæc Ignorantiae facinora, quæ Rebellionem, Temeritatem, Furorem perpetuos habet satellites. At vero postquam tua Princeps Illustrissime, insigni illa caritate qua illius ubique salutem, & commodum, nusquam tuum quæstum sequeris, congesti sunt, vt cum Apostolo loquar, carbones super caput eius, atque demū, ne vñquam ad pristinas tenebras reuolueretur, hanc ei quasi immortalis lucis officinam comparasti, jubet nos diuina Benignitas, & Sapientia, à qua hæc tam certa præsidia prouisa sunt, omnia de ea, quæ volumus, polliceri. Licet vero, vt nunc quidem est, iusto pauciores hoc tantum tuum, beneficium, quanti par est, æstiment, viuet tamen, ac vigebit in memoria posteritatis sempiterna. Noli enim diffidere in paucis annis, Paderbornam ad eius ætatis gloriā posse reuocari, cùm totius prope, vti narrauimus Septemtrionis lux quædam erat, & magistra. Ibi demum cognoscet quam eximia fuerit tua voluntas, quā salutaria consilia, q; immortalia merita. At modo, tametsi apud paucos, vt dixi, hæc eos sunt pondere quo oportet, tamen pauci illi maximas tibi, & suo, & infelicium illorum, qui minus intelligunt, nomine gratias agunt, Deumq; precantur ex animo, vt quando nō proinde, ac mereris gratia tibi habetur ab hominibus, ipse tanto hanc iacturam pluribus, yberibusque præmijs intermortales, cælestesq; compenset.

Finis Libri Secundi.

PANE.

